








THESES THEOLOGICÆ

QUAS

Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino

FABIO OLIVERIO

Apud Sanctiſsimum Dominum noſtrum

CLEMENTEM XI. P. M.

A Secretis Brevium

CONSECRANS

CURS. F. MARIUS BONACHIUSA

Auguſtinianus ab Enna Siculus

Magiſter Studii defendendas exponit

Sub Aſsiſtentia Admod. Rev. P. Magiſtri

Dominici Ignatii Cyriaci Romani

IN CONVENTU PP. AUGUST. S. SPIRITUS FLOREN.

Studiorum Regentis.







SENIS, Apud Bonettos, Typis Publici. *Sup. perm.*

Anno 1703. *Fantini, & Gatti Typographis.*



Illuſtr.me ac Rev.me Domine



Nte illam ſplendens Majetatem, cui ſerviunt Regna, parent Imperia, humilia reſpicis, & humilium animos extollis. Tuæ non ſufficeret Magnitudini, quod Magnus à natura, Magnus à ſcientiis, Magnus à virtutibus, Magnus fueris à *Maximo* conſtitutus, niſi major Teipſo à Teipſo fieres in minimis adjuvandis; hinc mea non timuit humilitas, in his Theſibus quarum diſcuſsioni paucos impendi ſe ſe Tibi ſpectandam offerre, ut creſcat Tuo nomine illuſtrata, & ipſe creſcas eam proprio fulgore illuſtrando. Talis es apud *Clementem*, ut ejus hauriens ſecreta Mundum poſsis illuminare, vel ejus mentem explicando, vel Tui ipſius mores, & virtutes à tantæ ſublimitatis apice oſtendendo; ibi Te poſuit Ille. Ubi jam Ille purpuratus Petro ſervivit: nec aliquid ſplendoris munus deperdidit, quia Tibi non purpurato traditum: ſatis enim eſt eſſe purpura dignum. Cardinalis in Te cognovit, quod poſſet

jam Pontifex exaltare: si enim exaltatus Ille fuit, quia Deo, & Hominibus placuit, aderas illi Adjutor, quando in rebus admirabiliter expediendis adstabas Auditor, omnes propterea asserere decet, non sanguine commotũ Te in Regnum vocasse, sed quia Illi notum secum posse calicem bibere, quem in Altissimo omnium Regimine, gravium copia agendorum posset offerre. Utinam bono Ecclesiæ ad majora conscendas! Fructus enim pacis, quos præsentia denegant tempora, in domo Dei plantata reddet *Oliua*, quando in montibus Urbis, vel in Urbe montium, instar Cedri Libani apparebit excelsior. Inter omnes gaudebo, Deo implente quod suspirant omnes. Interim me, measque Theses Illustrissime, ac Reverendissime Domine, Tuo Patrocinio subdens, Tibi sincero corde, animoque devoto venerabundus offero.

DE ANGELIS.

I DAntur Angeli, quorum Creator eſt Deus: eos fecit cum univerſo, condiditque incorporeos; ſiquis autem corporeos nunc aſserat, vel ante Mundi machinam conditos, non propterea aliquid contra fidem profert.

II. Angelorum ordines, qui fuerunt creati in Cœlo Empireo, novem ſunt: eſt inter eos differentia ſpecifica: etſi autem non detur purè numerica tamen quòd nec divinitus multiplicari numero poſsint non aſsentimur.

III. Sunt in loco non per ſubſtantiam, ſed per applicationem virtutis. In duobus ſimul locis, vel diſſitis, vel diſtantibus, ſivè adæquatis, ſivè inadæquatis naturaliter eſse non poſsunt: divinitùs poſsunt etiam in duobus adæquatis.

IV. Cognoſcunt propriã ſubſtantiam immediatè: alii verò aliorum ſubſtantiam Angelorum, non niſi mediis ſpeciebus; quas ab illis non accipiunt. ſpecies in intellectu ipſorum eò ſunt universaliores, quò altior eſt hyerarchia, & ordo.

V. Quę Angelicam cognitionem naturaliter latent ſunt omnia poſsibilia ſimul, futura contingentia, nec non liberæ cogitationes, & volitiones, tum Angelorum, tum hominum: has tamen cognoſcunt naturaliter, manifeſtatione ſecuta.

VI. Alloqui Angelus Angelum poteſt, ſivè ſuperioris ſivè inferioris ſit hyerarchiæ. Inferiorem ſuperior illuminat: an autem valeat illuminare ſuperiorem inferior, ratio cur negemus, nulla hucuſq; nos urget.

VII. Moveri poſsunt localiter motu tam continuò, quàm diſcreto; tranſire motu continuo ab extremo ad extremum intacto medio, nec per ſe, nec per accidens poſsunt: valent autem ſic tranſire motu diſcreto.

VIII. Omnibus ab initio collata eſt gratia habitualis, ſeu habitus charitatis; datum eſt etiam adjutorium ſine quo non: quod ſi illis defuiſset in eis non fuiſset poſsibilis perſeverantiæ defectus imputabilis ad culpam.

IX. Licet omnes eorum attenta vi libertatis, potuerint vel mereri, vel demereri, etiam in primo inſtanti, non tamen ſinguli poſtea perſeverarunt, vel defecerunt: aliis per liberum arbitrium ruentibus, per idem liberum arbitrium ſtantibus aliis.

X. Caput eorum, qui per ſuperbiam ceciderunt, ſupremum Angelorum fuiſse nulla certitudine dici poteſt; plures numero fuiſse qui ſteterunt, quam qui nõ perſeveraverunt cõſtanter aſserimus.

XI. Non omnes, qui ceciderunt ſtatim ſunt in gehennam detruſi: multis enim in aere, multis in terra, multis in aqua, ad diem uſque judicii datus eſt locus: gehennæ tamen pœna ſtatim poſt lapſum cruciati ſunt.

Bon-

XII. Bonorum in bono perſeverantia, nec non ad gloriam electio non fuit ſpeciale Dei donum, quemadmodum eſt in hominibus; malorum autem reprobatio, & obduratio in malo opus juſtitię fuit. Nullus eorum fuit præſcius proprii finis.

XIII. Tam boni, quam mali, aſsumere vera corpora quæunt, quibus hominibus appareant: non omnes propterea dæmonum apparitiones fiunt illuſione ſenſuum, vel phantaſmatum commotione. In illis vera opera vitæ exercere non poſsunt.

XIV. Ex bonis multi dati ſunt hominibus ad cuſtodiam, itaut ſingulus homo ſingulum habeat cuſtodem Angelum. An autem quilibet hominum habeat comitantem Angelum malum? ut probabile aſserimus, ut probabilius negamus.

XV. Qui ſteterunt peccare amplius non poſſunt: hinc non comparebunt in finali Judicio puniendi, ut putavit Origenes. Qui autem ceciderunt non solventur aliquando à pœnis, ut idem cenſuit.

XVI. Obduratio malorum Angelorum in malo non refunditur in angelicę voluntatis naturam, ſed in privationem neceſsarii auxilii ad reſurgendum: deſtituti enim ſunt quolibet Dei adjutorio, etiam remoto.

XVII. Eſt inter dæmones præfectura eo ordine, quo fuerat ante lapſum; nullus eorum præeſt uni vitio ad tentandum, quia aliis aliiſque præeſse

non

non valeat: victi à tentando non cessant: nec boni ob peccata cessant ab illuminando.

XVIII. Peccati mali Angeli licet ad bonum libertatem non habeant: boni multa libera agunt; quamvis ad malum non habeant potestatem, nec illi dum operantur extra gehennam, à cruciari: neque illi extra cœlum occupati à beatitudinè vacant.

XIX. Mali Angeli propria virtute vera miracula patrare non possunt, sed tantùm ea imitari, etiam ad confirmationem erroris. Uti eis potest Deus ad vera miracula facienda ad comprobandam fidei veritatem.

XX. Artes Magicę ob commercium cum dęmonę prohibite sunt jure naturæ. Quare ut digni simus conversare cum Angelis Dei, omnē superstitiosam curiositatem abjicere debemus, sola sanctorum contencti conversatione Angelorum.

F I N I S.

